

De Maximiliani Stoll et Joannis Petri Frank vita praecipuisque meritis in praesentem medicinae statum / [Franz Wilhelm Lippich].

Contributors

Lippich, Franz Wilhelm, 1799-1845.

Publication/Creation

Vienna : C. Ueberreuter, 1845.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/natdyzhx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

LIPPICH, J. W.

De

Maximiliani Stoll et Joannis Petri Frank

vita praecipuisque meritis.

Auctor

J. S. Lippich.

1845.

65879
81

DE
MAXIMILIANI STOLL
ET
JOANNIS PETRI FRANK
VITA PRÆCIPUISQUE MERITIS
IN
PRÆSENTEM MEDICINÆ STATUM.

ORATIO ACADEMICA,

QUA

SOLENNEM INAUGURATIONEM EFFIGIERUM SUMMORUM ILLORUM VIRO-
RUM

IN

SCHOLA CLINICA MEDICA VINDOBONENSI,

EX INCLYTI ORDINIS MEDICI VOTO,

die 14. Novembris 1844,

festive celebravit:

FRANCISCUS GUILIELMUS LIPPICH,

INSTITUTIONUM MEDICINAE CLINICAE PRO MEDICIS IN C. R. UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PROFESSOR P. O.

VINDOBONÆ.

TYPIS CAROLI UEBERREUTER

1845.

MAXIMILIAN STOLZ

JOHN PETER BLANK

THE UNIVERSITY OF TORONTO

POSTGRADUATE MEDICAL STUDY

ON THE SUBJECT OF



BY

WELLCOME

1905

In conspectu vestro, — illustrissime ac magnifice Praeses, spectabilis Decane, Collegae clarissimi, Auditores reliqui amplissimi, ornatissimi, — exedram occupo magnis olim celebratam viris.

De horum duobus, qui Dioscurorum instar nitent, de praeceptoribus meorum praeceptorum, verba facturus, grave opus suscipio, humeris meis longe superius; et nisi multo major foret vestra benevolentia, quam mea facultas et copia dicendi, profecto ad satisfaciendum vobis deficere nunc sentirem vires.

Attamen meam erga egregios artis defensores venerationem vos mecum communicaturos spero: quare veniae potius vestrae suffragio, quam perorandi venae me adjutum existimabo.

Possidemus enim, quas jam dudum huic scholae exoptavimus, fidas summorum ejus moderatorum effigies: **Maximiliani Stoll**, et **Joannis Petri Frank**. — Laetam hinc orationis ausam nanciscor, quam quis nobis fecerit, accipite.

Effigies has celeberrimus vir, **Josephus Frank**, **Joannis Petri** filius, arti medicae Novocomi in Italia non pridem ereptus, gratioso hujus urbis medicorum ordini testamento legavit. Legatum sane honorificum! Quo majori enim aestimationis signo legator doctissimus uti erga nostrum ordinem potuit, quam patris, quem tot aliae academiae suum sibi vindicant, iconem nobis solis adjudicando? Ast quanta modestia! Ne credamus aestimationis haec tesseram ab illo nimio haberi pretio, eam **Stollio** comite augere voluit.

Accipe gratias, pia Josephi anima, pro tanto, tamque desiderato, duplici dono. Tumulum patris tui hac in Austriae terra possidemus, procul ab illo qui, ad Larii undas, cineres tuos nobis non concessos recondit. Illud patris monumentum, a te erectum, a nobis conservari pietas tua voluit, nostrae confisa pietati. Nec falletur haec tua expectatio, quae seris posteris sacra erit.

Quod vero gratiosus iste ordo medicus, cujus tot inclytos sodales atque collegas hic congregatos conspicio, annuente imprimis Te, magifico ejus ordinis Praeside, illas icones hac in schola, quae sapientibus **Maximiliani** et **Joannis Petri** praeceptis olim resonabat, asservari concesserit: id grata memoria persequi, me scilicet, eosque, qui mihi succedent, ac discipulos, quotquot hanc palaestram visitabunt, non minus decet.

Nec immerito quidem. Nominibus enim magnis illis auditis, quis non protinus summam scholae nostrae gloriam enunciari intelligit?

Summam gloriam? — An haec jam peracta est? — Historia respondebit a nepotibus conscribenda.

Agat vero cujuscunque judicio dignum quid praesens haec aliave schola: grate recordari eorum, qui ante nos egerunt, nec absolverunt, virum honestum atque probum decuit semper, semperque decebit.

Si enim laude non indigni erimus, propter progressum, quo antecessoribus nostris praestare nos oportet, reminiscendum est: fuisse horum labores, quibus, tanquam totidem fulcris atque fundamentis innixis, ad altiora nobis eniti concessum est.

Si vero virtus nostra majorum praestantia inferior est: macte animo! Hi nobis exemplo atque incitamento sint, ut editiores laborum gradus atque fructus assequamur. Non omnia pejus nobis, non omnia melius, qui ante nos fuerunt, peregerunt.

Quare ego temporis et acti et praesentis laudatoribus rem aequae haud ingratae me suscepturum credo, si insignium illorum virorum vitam, studia et opera, nec non in praesentem medicinae, saltem nostratis, statum merita, brevi, simplici et pio sermone complectar. Brevem conveniet esse sermonem meum: nam si utriusque illius heroïi medici omnia egregie gesta laudibus dignis celebrare vellem, non sufficerent dies et volumina commentariis referta. Decebit hunc sermonem simplicitas: quia magna imprimis, si celebrantur, verborum apparatu non indigent. Pia autem sit oratio mea, id est justa. Etenim si nec justis erga praeceptorum nostrorum umbras sumus, quam, rogo, pietatem a nostris discipulis exigemus?

Quae cum ita sint, illustrissime ac magnifice Praeses, quive benevoli cuncti adestis, Auditores amplissimi, ornatissimi, sinite me ingredi in medias res, et de vita summorum illorum scholae nostrae ducum raptim decerpere momenta quaedam, ad cognoscendam hodiernam nostram medicinam omnino idonea.

Incipiam de rebus gestis **Stollii**, tanquam tempore prioris, ostendamque, quomodo illa, quae hic vir egerat, prouti ex antecessorum ejus actis manaverant, ita ad haec, quae successoribus illius agenda incumbabant, et prae caeteris **Frankium** nostrum, impellere necessario debuerunt. Actorum enim ab hominibus is nexus est, ut ex prioribus posteriora, tanquam e suis fontibus rivi, consequantur. Tolle omnes fontes, tolle omnes amnes, tolle et nega omnia majorum merita: et non habebis flumina, quibus in altum cognitionis mare veharis.

Illustret ergo viam historiae literariae lumen; comitetur me vestra, Auditores humanissimi, comitas atque indulgentia: et si quid sermone meo, non ad salvandam posteris, nam hi aequiores erunt, sed ad reviviscendam viventibus quibusdam mortuorum istorum memoriam, conferre potero, nil nisi gratus vester erga eos animus, quibus tanta debemus, quanta nec verbis exprimere queo, me sequatur, et soletur.

Rerum statum, in quo clinicus quis versatur magister, accurate ponderare oportet, si quod tutum de eo dandum est judicium. Nemo hercle mortalium a tam varia rerum et personarum dependet conditione, adversa saepe potius quam secunda, ac magister clinicus, ejusque agendi modus.

Atque prima rerum contemplatione recogitandum est: institutiones clinicas reliquis cunctis medicis disciplinis, si aliquas excipias, esse recentiores, atque hinc excusatione maxime dignas. Summa scilicet harum institutionum difficultas, quae tantum ab earum dignitate superatur, doctores cathedralicios diu ab illis absterrebat.

Hinc factum est, ut quae saltem 1578 Patavii, ab Albertino Bottoni et Marco de Oddis, insistentibus Alemannis, brevi tempore datae sunt institutiones publicae ad lectos aegrorum nosocomii, 1636 a Guilielmo van der Strat-ten, in schola ultrajectina, et eodem anno, ad istius aemulationem, ab Ottone Heurnio et Evvaldo Schrevelio, in lugdunensi Batavorum schola, repristinatae sint. His Lugduni successere: Albertus Kyper, Franciscus Sylvius, et magnus ille Hermannus Boerhaave, quem Gerardus van Swieten, clinices apud nos fundator, viginti annorum curriculo praeceptorem habuit. Ab hoc immortali studiorum Austriae reformatore clinica schola Antonio de Haen, alteri Boerhaavii discipulo, 1754 concedita est, qui eam usque ad 1776 condigne rexit. Haenio **Stollus**, in serie magistrorum clinicorum, non in doctrina, secundus erat.

Viguit tum mos, indigenarum studia, praesertim in re medica, praeceptoribus extraneis ad altio-rem potentiam evehendi. Utilitatem hujus transfusionis ingeniorum comprobant Swietenii, Haenii, Stoerkii, **Stollus**, Barthii, Crantzii, Jacquini, **Frankii**, aliorumque indelebilia nomina, et ad strenuam hujus usus pensationem compellunt. Studia enim alienigena nostris proficua sunt, non solum quia meliora, sed quia majorem etiam aemulationi et restorationi tribuunt impulsus. Intelligo praecipue studia, quae juventutem a teneris erudiunt.

Sed ad **Stollus** vitam accedamus, gloriosam, brevem licet, quae in se tota nil nisi nobilis de aerumnis multiplicibus reportata victoria fuit.

Natus est **Maximilianus Stoll** 1742 in vico Svevorum Erzingen, parente chirurgo, rebus domesticis humilibus. Male jam puero patris olebat officina, et praeplacabant studia humaniora, graeca et latina, a patribus societatis Jesu tradita. Horum ordini se adscribi sinebat. Sed mox poenituit juvenem suscepti consilii, praesertim cum licere sibi non videret, classicos Germaniae scriptores vernaculos discipulis, quibus docendis Halae Tyrolensium praefuit, exponere atque commendare.

A vicesimo quinto hinc aetatis anno medicinae operam navare coepit, primum Argentorati, dein Vindobonae. Haenium hic praeceptorem nactus, primis jam aegrorum in ejus clinico observatorum historiis, qualem se postea praestitutum sit ostendit, veluti ex ungue leonem.

Laurea doctoris hic redimitus 1772, mox in Hungariam profectus est, ubi comitatus honthensis physici, ut vocant, muneri biennio praefuit. Habuit ibi uberrimam occasionem praxin exercendi, et magistri hippocratica principia, quae in sequenda naturae lege prima et praecipua consistebant, ad aegrorum lectulos comprobandi. Et nisi praedilectas ab Haenio sanguinis missiones, nimis ad jurandum in magistri

verba pronus, audacius, quam par erat, genio tum epidemico reluctanti opposuisset, satis quidem fuisset fortunatus. Sed parum satisfecit mediocris successus cordato viro, et animum paene a medicina avocasset. Periclitantem tamen salvavit Hippocratis et Sydenhami, prae omnibus autem naturae ipsius indefessum studium. Quo factum est, ut monita praeceptoris secundaria primariis, ut decet, postponens, totum se novati generii epidemici, qui morbis gastricis favebat, observationi dederit, eique therapiam accomodaverit omnem.

Viennam 1774 rediit, febrem intermittentem, quam contraxerat, aliter se vix amissurum praevidens. Quae quidem febris intermittens certe salutaris fuit: nam illi haec schola salutiferum praeceptorem, et multa aegrorum millia salutem suam debent. Postquam per alterum hic biennium privatis in disciplinas medicas praelectionibus complures sibi devinxisset **Stollius** amicos, matrimonio, quod cum celebrioris cujusdam medici practici filia inivit, studiorum rectoribus citius innotuit Praeside hinc **Stoerkio**, 1776 **Haenii** successor nominatus est, postquam aliquot saltem mensibus prius in nosocomio ad **S. Trinitatem**, ubi **Haenius** docuit, medici primarii munere functus esset.

Reperit hic largissimum campum observationi morborum popularium indulgendi, atque sic discipulos ad altiorem, quam a singularibus aliquot lectulis offertur, experientiam et doctrinam provehendi. Grave hoc moderatoris clinici munus quanta expleverit cum solertia et sagacitate, rectusque Hippocratis genio, qua perfecit simplicitate ac fortuna, ut insolitae eruditionis et comtae dicendi rationis taceam modestiam, testes advocho amoris discipulorum, ad eum sectandum undique huc convolantium, et scriptorum, quae ille nobis reliquerat, aeterna monumenta.

Nec aliae hujus viri famam, tam cito et condigne promeritam, circumsidebant nubeculae, quam illae, quas execrandus livor omnibus mediocritatem superantibus offundit. Hae tamen obscuritates virtutum splendorem nonnisi adaugent. Dolendum saltem, quod tetra illa abjectorum animorum impotentia id tamen efficere possit, ut conatus proborum hominum magna ex parte eludat.

Nosocomia minora magnis esse praeferenda, **Stollius** noster, uti serius **J. P. Frank**, non sine gravibus argumentis defendere solebat, proverbio usus: non multa, sed multum. Attamen in minoribus his nosocomiis omnia sic ad scopum optimaeruditionis juvenum medicorum comparata esse voluit, ut praeparantibus ad pauciores lectulos in artem clinicam institutionibus, praxis sublimior, epidemiarum studio potissime adaequata, crescente sensim aegrorum contemplandorum numero, perpetuo adjungeretur. Votis his occurritur moderatore clinico, si non omnibus nosocomii rebus regendis praefecto, earum tamen gerendarum non infimam partem constituyente. Haecque sat felix positio **Stollii** in nosocomio **S. Trinitatis** utique fuit. En tamen, quomodo propriis, ut dici solet, armis vir pacificus debellabatur.

Imperator **Josephus II.**, humanitatis summus aestimator, a suis archiatriis eo inductus fuit sententiae, ut cuncta hujus urbis minora nosocomia in hoc universale, quod sane e maximis est, et cujus directio **Quarinio** commissa fuit, 1784 contrahi juberet.

In vasto hoc gurgite modestus erat locus, media hujus aedis, qua congregati sumus, contiguatione, quo rari aliqui nantes aegri compellebantur, ut tironibus clinicis ad videndos plures veluti incitamento forent. Utinam in amplioribus reliquis nosocomii spatiis meros illis sequi licuisset **Stollus**! Numerus lectorum in illo clinico ad duodecim pro utroque sexu tum temporis erat restrictus. Nec poterant angusta et humilia conclavia discipulorum numerum capere, nec morbos iis non impertiri, ex nimia hominum frequentia semper oriundos. Proh, infelicem, quae hominum vitas dilapidat, parsimoniam!

Sed nec secandis cadaveribus, quae **Stollus** diligenter lustrare cum discipulis solebat, appositus erat angulus. Quid, quod praeter medicinae, chirurgiae etiam minoris candidatos, quos **Stoerkius** majore quam **Stollus** complectebatur affectu, instruere hic ad medicorum praxin fuerit coactus? Ad propaedeusin igitur trivialem limitatus fuit vir, quem orbis medicus ducem salutabat.

Adde his reliquas aerumnas, tum academicas, tum domesticas, studiaque nocturna, cum magna diei pars visitandis extra nosocomium aegris impensa esset, adde vacillantem sub tot oneribus et gravaminibus corporis gracilis salutem, animique nativam mansuetudinem, vexationibus adversariorum, quorum infensissimos intra ipsos nosocomii muros habuit, resistendo imparem: et concipies sane, cur optimi viri beatitudo hac in terra non fuerit, cur eum caelestia praemia, bonis omnibus flebilem, haud diu expectarent. Obiit 44. aetatis anno, die 23. Maji 1787, ex apoplexia ephemera, cui curandae **Stoerk** et **Mertens** assistebant.

Sic vixit **Stoll**, qui noster erat non diu, sed totus: principis illius dilectissimi ad exemplum, sub cujus radiis eum florere contigit.

Si ejus scripta pervolvimus, aperto illa nobis sunt documento, quam multa paucis, et magna brevi, praestare possit in medicina is, qui felici naturam interpretandi lumine, observandi candore, diligentia, et animi probitate imbutus est. Documento sunt, ad magnum in medicina promerendum nomen, non voluminum vasta eruditione scatentium longa serie, nec tractatum a permultis ephemeridibus ruminandorum farragine, nec aurae popularis captandae idoneis libellis, sed ingenio, quod his omnibus superius sit, opus esse.

Operum **Stolli** pauciora eo vivente edita sunt: inter haec rationis medendi partes priores tres, et aphorismi de cognoscendis et curandis febribus (sic nimirum omnes morbos acutos, ac plerumque populares, appellabat). Partes reliquas quatuor rationis medendi, et aphorismorum de febribus ipsius auctoris commentarios, nec non praelectiones ejus in diversos morbos chronicos, duobus voluminibus comprehensas, sedulus **Stolli** discipulus, **Josephus Eyrel**, uti et aliud illius opusculum, quod de nosocomiorum institutione agit, **Georgius Adalbertus von Beecken**, post mortem auctoris typis divulgavit. Non desunt aliqua ejus opera minora, inter quae orationem de optima discendi docendique graeci sermonis ratione, et tractatum de colica saturnina, nominamus. Editionem praeterea scriptorum **Swietenii** et **Haenii** curavit, largamque discipulis occasionem dedit de materiis clinicis disserendi.

Ingenii vim, cognitionibus philologicis, philosophicis et theologicis, quibus **Stollius** noster abundabat, non obstantibus, totam eum contulisse videmus ad medicinae practicae perfectionem. Qua in re desudans id potissimum egit, ut veros universae artis stabiliret canones, illos scilicet, quos naturae vicissitudines, recurrente ordine, perpetuos dictarent. Quos canones, sive cognoscendi et curandi morbos rationes, e morborum potissimis causis, hominum arbitrium superantibus, epidemicis, praecipue repeti debere, fidus ille naturae interpretes mox pervidebat. Idcirco **Haenii** nimiae simplicitati in febre tantum unica, eaque inflammatoria, statuenda, ejusque pertinaciae in methodo antiphlogistica haud unquam deserenda, justum ponere terminum necessario debuit.

Libertatis igitur secundum naturam cogitandi et agendi adjutor, e scholarum cancellis medicos ad commercium cum mundo universo traduxit, et ad veram illam philosophiam naturae adegit, quam in vitae adminiculis et impedimentis, perpetuis et necessariis cognoscendis, totam consistere noverat.

Generalia sic intuens, aphoristico scribendi genere, ad specialia tamen agendo attentionem summam semper convertibat. Singulares aegrorum rationes eum solertissime considerasse, examen aegrorum, quod ad optimam normam institui docebat, testimonio sit. Juvat adnotare, **Auenbruggeri** inventum, percussione, **Stollio** prae aliis placuisse.

Praedominantibus tamen eo tempore affectionibus gastricis, quibus et aliarum partium quam imi ventris turbae parebant, **Stollius** in illis curandis fere praecipuus versari videbatur. Injustam hinc scholae antigastricae fundatoris famam consecutus est, quam ipse certe removisset, nisi vita ejus nimis brevis arti longae tam parum respondisset. Et jam ultimis vitae annis, rebus epidemicis mutari incipientibus, ipse discipulorum et imitatorum fervorem in emeticis et purgantibus adhibendis provide corripuit et coercuit.

Magistrorum hujus scholae nunquam fuit, sectam condere. Ast quae non propria passim regitur vi, coeca ac fluxa sectantium magistros turba, ut impulsus semel recepit, a progressu in bonam malamve partem difficulter retineri potest; eritque multo facilius asseclas ciere, quam a praedilecta opinione eos remove. Scholae enim medicorum variae, ut sibi mutuo succedunt, non magistrorum adeo, quam saeculorum impulsus, temerarios vagosque, sequuntur. Optima secta est, quae experientiam optime sectatur.

Temporum vicissitudinibus parta morborum agmina, ut aliquod totum, et in singulis aegris unum, cognoscere et curare, **Stollio** post **Hippocratem** et **Sydenhamum** nemo melius docebat. Restabat tamen quaestio, an non consultius foret, vicissitudinum illarum permultas, quoad hominum potestati et cautioni non sunt subtractae, magistratum auctoritate praevertere aut eludere, et ubi hoc non licuerit, misellae plebis curam ejusdem auctoritatis nutu dirigere?

Haec gravissima quaestio, quae inter cultos populos non affirmari non potest, scientiam complectitur vastissimam, hygienem puta publicam, quam sub nomine politicae medicae e suis elementis evolvere, **Joanni Petro Frank** commissum a caelibus problema fuit.

Cum hac scientia, quae notitia legum medicinalium diversarum gentium, sive politica, ut vocant, medicinae perpetuo juvatur, mox et aliae, e largo medicinae clinicae sinu, ortum coeperunt disciplinae. Inter has geographia et statistica medica suos adhucdum quaerit fundatores. Aliae quoque affines scientiae cum illa diligentius abhinc colebantur. Exemplo sit medicina forensis, quae communi cum illis medicinae publicae sub nomine docetur. Sic una disciplina promota alteram promovet. Disciplinae enim, quotquot sunt, vinculo unitatis inter se junguntur. Disciplinae et doctrinae multae sunt, scientia est una.

Magni itaque hygienes publicae fundatoris vita nunc mihi perstringenda est.

Natus est **J. P. Frank** in badensi oppido Rotalben, die 19. Martii 1745. Ad studia prae reliquis fratribus animum advertebat, patre, mercaturam exercente, invito. Hic tamen, cum adolescentulum ad alia, veluti dicebat, aptum non reputaret, in gymnasiis vicinarum urbium usque ad annum 1762, eum literis incumbere patiebatur.

Doctoris philosophiae laurea decoratus, **J. Petrus** Heidelbergam concessit, medicinam, quam physices sibi percarae utilissimum esse ramum agnovit, addiscendi gratia. Cujus studio, quo solertius se traderet, plurimum, ut ipse fatetur, contribuit amor in futuram conjugem. Argentoratum dein, ad continuandum studium, profectus est. Magistri ejus praecipui fuere: **Gattenhof**, **Overkamp**, **Schoenmetzel**, **Spielmann** et **Lobstein**. Sub hujus auspiciis anatomen diligenter exercuit, et in physiologia ita se perfecit, ut mox privatis in eam lectionibus alios valuerit erudire. Clinicas explanationes doctoris **Boehm** in nosocomio argentoratensi secutus est. Ad summum tamen medici gradum adipiscendum, 1766 Heidelbergam rediit.

Primam in Franco-Gallia praxin exercuit. Ast jam post biennium in patriam reversus est, ubi carae conjugis obitu desolatus, in condenda politica medica consolationem quaerebat. Primum operis tentamen, quod docto alicui Aristarcho haud ardebat, juvenilis auctor flammis dedit, a maturioris laboris molimine neutiquam deteritus. Interim etiam in praxi medica ad aegrorum lectulos excelluit, et in morbis popularibus curandis quam maxime **Sydenhami** et **Stollii** mentem est assecutus.

Publicus hinc apud Rastadtenses medicus constitutus, alterum iniit matrimonium, ex quo 1771 filius illi **Josephus**, et 1774 **Franciscus** natus est. Hos a teneris vitae annis ad medicinae studium ipse instituit. **Bruchsaliae** dein, spirensis antistitis archiater factus, nosocomii etiam, atque carcerum praxin exercuit. His officiis non obstantibus docendi etiam munus sponte suscepit, et primum obstetricibus melius instituendis, dein etiam chirurgis ruralibus erudiendis, quorum scopo acade-

miam condidit, operam dedit, sedulus non solum in cathedra, verum etiam in museo anatomico, et in plantis per agrum colligendis, ubique discipulorum consortio fruens.

Tanta haec unius hominis industria, prae caeteris vero systema illud politiae medicae, cujus primos tomos inde ab anno 1779 ediderat, nomen **Joannis Petri Frank** per universam Europam celebratissimum reddidit. Hinc pro vacante Ticini, post **Tissoti** abitum, cathedra clinica medica nemo dignior censebatur, quam spirensis archiater, **Stollio** imprimis, qui meritis eximii contemporanei plaudebat, ad id contribuyente. Imperatore tamen in Italia morato, haec vocatio rata haberi tardabat; quare **Frank**, Goettingensium academiae invitanti cedens, relictas ibi a **Baldingero** institutiones clinicas, cum physiologia, pathologia, therapia generali, politia medica et medicina forensi, in alma illa Georgia Augusta 1784 docere coepit. Ast anno jam sequente ad munus clinicum obeundum Ticinum se contulit, ubi anno post etiam nosocomii regimen illi confisum est.

Quae in hac musarum sede per decem annos gesserat, tum interpretatione et curandi modo ad aegrorum clinicorum lectos, tum doctis in cathedra habitis disputationibus, tum in rebus nosocomii domesticis administrandis, gratiae adhuc Italorum inhaeret memoriae; et nisi tot superessent horum scripta documenta, e posteriorum traditione jam oretenus nunquam essent delenda. Non mirum, si viro, cujus virtus vix fatigari posse videbatur, munera muneribus superaddita fuerunt.

Inter haec e praecipuis erat, quod universi studii ticinensis novationem, jussu superiorum, compilaverit, qua sancita, lectionum numerus, feriis restrictis, ad duplum est auctus. Fecit tamen, ut cum majori hoc onere docentium stipendium creverit, ejus augmento pro se, cum proprii redditus collegarum proventus alioqui jam longe superarent, sponte renuntians.

Institutionum novo ordine vigente, cathedra anatomiae generalis (quam falso a **Bichatio** inventam esse credunt) et anatomiae comparatae, nec non physiologiae, creata est, et prima jacta sunt fundamenta musei anatomico-pathologici, ad quod ditandum ipsemet sectiones cadaverum multas fecit, et propter hunc finem morborum insanabiles casus haud paucos in clinicum recepit. Quid, quod et materias ab aegris ejectas, et cadaverum partes morbosas, assistenti chemico, **Marabellio**, attente dissolvendas dederit? Merito igitur **J. P. Frank** primum fere inter clinicos anatomiae non solum, verum et chemiae pathologicae cultorem, si non fundatorem, et medicinae histologicae modernae primum institutorem habemus. En, quam foecunda est ars clinica, tantarum disciplinarum, aevo nostro adeo florentium, antiqua mater!

Neque jam satis. Omnia enim medicinae studia (et in hoc aevum illius a nostro differt) ad praxin clinicam, tanquam luminis radios ad focum dirigens, auctor erat, quod theoriae etiam, tum medicae, tum chirurgicae, professoribus impositum fuerit, ut tirones ad nosocomium conducerent, iisque symptomata morborum ad ipsos aegrorum lectulos explicarent. Quod laudabile institutum posthac eviluisse, nec susceptum apud nos huc usque fuisse, sane dolendum est.

Quanto pretio ipse investigationem morbi habuerit, ostendit optime, cum tirones clinicos primo anno nil nisi observatores agere, et altero ad therapiam statuendam se accingere docuerit, methodo, quam nuper saltem a praeclaro **Nasse** detectam credunt. Nescio tamen, an fieri possit, ut a therapia saltem annotanda abstineant, qui aegros non solum observari, verum et curari jam primo tirocinii anno vident.

Nec solum, quae discipulorum numero non sufficebat, propria clinica schola, verum et illa, quae demonstrandae a celebri **Scarpa** chirurgorum arti serviebat, eo momento ampliata, et amphitheatrum chirurgicis operationibus idoneum erectum est.

Atque ut medicinae clinicae omnes caeteras disciplinas, ita et nosocomii, quod **Papiae** est, omnia fere cubilia ad usum ejus scientiae sacra esse voluit, sapienti sane consilio, et apud nos utinam imitando! Nosocomii hinc illius medicos, inter quos **Locatelli**, **Palletta** et **Monteggia** eminebant, ad publice legendum discipulis, tamquam docentes extra ordinem, cohortatus est.

Exemplo ipse, tum in moderandis sumtibus, tum in observandis accurate praelectionum horis, et in omnibus officiis religiose eximplendis, ubique praefulsit.

Tanta praestari utique possunt, ubi dirigendi medentes, et e primo medicinae practicae loco docendi munera non sejunguntur.

Stupendam hanc activitatem, cum agendorum mole crescentem, superiores cum cernerent, **J. P. Frank** jam anno 1786 archiatrum a consiliis Longobardiae et Mantuae, et 1788 omnium ejus territorii nosocomiorum rectorem constituerunt. Hoc in novo munere, quin magistri clinici officia vel hilum negligeret, itineribus et scriptis plurima ad salutem reipublicae condigne gessit. Ad altiora officia dignissimos proposuit viros, mediocritatis, uti quondam **Swietenius**, osor et contemptor. Ter quaterque beatus, quod quae mente conceperat, actu valuerit comprobare! Adjutus scilicet superiorum fiducia, quae in viros habiles et probos nunquam injuste locatur.

Ast quamvis praeter reipublicae salutem, salute civium optime promovendam, collegarum etiam augendo commodo **J. Petrus** noster prudenter respexerit, evitare tamen omnium eorum odium et invidiam nequidquam potuit. Incassum calumnia fiduciam imperatoris in virum integerrimum labefactare tentavit, imo ad altiora munia viam illi stravit. Etenim 1795 ad emendandum rei medicae militaris statum Viennam vocatus, in cathedra ticinensi **Josepho** filio patris vicem explente, eodem iste anno dirigendo huic universali nosocomio praefectus, et in locum clarissimi **Reinlein** docendae praxi medicae suffectus est, cum titulo caesareae regiae aulae a consiliis.

Decennio, quo huic et nosocomio, et scholae praefuit vir, ad augendam universam medicinam natus, de solertia, quam **Papiae** adhibuit, ne momento remisit. Illo auspice, post triste **Francisci** filii fatum, typho, quem in perangusto, aegris referto, clinico contraxerat, peremti, cubilia clinica prioribus longe ampliora, et recipiendis viginti quatuor aegrorum lectis adaptata sunt, eo modo, quo nunc illa contuemur. Adnexus est oecus, in quo nunc versamur, praelectionibus dicatus. Finitima huic

cubilia museo anatomico-pathologico destinata fuere. Id ab imis fundamentis et hic, ut in Italia, erexit, opera adjutus Rudolphi Vetter, primi prosectoris, atque mox ad tantum provexit gradum, ut brevi illud primum in Europa fore praedixerit: spe, uti videmus, non frustratus. Posuit etiam initia bibliothecae clinicae, quae non pridem vindicavimus, opitulante propitio numine novis accessionibus augenda.

Minus ei successit ex sententia, nosocomium quoque istud academicis studiis totum sacrare, et sumtus medicinales castigare. Praestitit tamen quae potuit, ad squalidam illam turrin, qua vesani apud nos includuntur, minus horridam reddendam. Muris nimirum ac horto eam cinxit, et cloacarum foetorem, quoad licuit, correxit.

Laborum consilii supremi studiorum particeps, rationem studii medici melius docendi, atque scholae veterinariae instituendae descripsit. Ad variolas humanas insito vaccarum morbo simili praecavendas, tentamina prima in brephotropheo fecit. Uno verbo: non erat medicinae ramus, quem versatili suo et vasto ingenio non ad uberio-rem florem atque fructum compulisset.

Qui viri hujus meritis plaudebant, majora adhuc istis futura sperabant, et alterum a Swietenio studiorum restauratorem promittebant. Sed ferebant aliter fata. Calumniarum quippe pertaesus, 1804 in Russiam migravit, et in academia vilnensi, una cum filio Josepho, munus docendi adiit. Anno post, qua archiater caesaris Russiae et academiae medico-chirurgicae, quae Petropoli est, director, ad hanc urbem accessit est. Docuit hic etiam praxin medicam, usque ad annum 1808, quo salutis gratia Moscoviam, et sequenti anno Friburgum in Brisgovia, cathedris valedicens, profectus est.

Viennam anno 1809 pertransiens, a Napoleone, ibidem commorante, Parisios invitatus est. Vocationi non paruit. Mox Viennae sedem figens ultimam, totus literis et salvandis consilio aegris vixit, Napoleonis filii, ducis a Reichstadt, archiater declaratus. Septuagenario majori augustissima ducis mater pectus ordine S. Constantini decoravit.

Fatis cessit die 24. Aprilis 1821, ex apoplexia, arthritidem consecuta, 76 annum agens. Assidebat per mensem aegrotanti electa quondam ejus discipulorum manus, quorum nonnullos hic praesentes veneramus. Tu, magnifice Praeses, tuque ingeniosissime Malfatti, ex eorum fuistis numero. Recordor luctus vestri, et numerosi medicorum comitatus, cum funus tanti viri, senes juvenesque, magistri et tirones, sequebamur. Semper et ego recordabor, me quoque ex eorum fuisse numero, qui feretrum ejus humeris portarunt, et terrae, quae illi levis sit, glebam, demerso in sepulchrum immiserunt, in sepulchrum, quo —

— — *ubi decidimus,*

— — — — —

Pulvis et umbra sumus.

Oh, cur ad parentalia magnis nostris viris persolvenda tam desides sumus! Sic ego, neminem ad orationem funebrem se accingere advertens, tacite memet ipsum tum interrogavi. Quintum abhinc labitur lustrum: quaestio mea in eodem statu est. Non

credidisset unquam, me post tot annos viri tanti laudes dicendi officium mansurum. Quae juvenis tum sensi, vir actutum sentio. Apud Italos laudabilem vidi morem, professorum funera solenni oratione in ipsis templis celebrandi. Servit hic mos insigniter ad virtutis majorem gloriam et imitationem, et juvenes imprimis ad nobilia accendit facinora: quibus tu, o cara patria, nunquam non egebis!

Sepulchrum **Stollii** quaesivi. — Non inveni.

Sed quid ego de laudibus, quid de monumentis sollicitor? Nonne haec in summorum virorum operibus habemus?

Tum vero **Joannis Petri Frank** opera monumenta sunt, omni aere perenniora, omnique sublimiora panegyrico.

Animos eruditorum primum in se convertit 1776, epistola de principiis quibusdam a collegio medicorum monasteriensi propositis; cui mox successit epistola invitatoria ad eruditos, de communicandis, quae ad politiam medicam spectant, principum ac legislatorum decretis. Complurimae ejus dissertationes minores in delectu opusculorum, tomis duodecim comprehensorum, extant. Agunt hae: de civis medici in republica conditione atque officiis, e lege praecipue erutis; de instituendo ad praxin medico; de chirurgo medicis auxiliis indigente; de signis morborum e diversa positione corporis et partium ejus petendis; de affectionum periodicarum ordinandis familiis; de larvis morborum biliosis, de rhachitide acuta et adultorum; de vertebralis columnae in morbis dignitate; de morbis pecudum a medentibus non praetervidendis; de virtutibus corporum naturalium medicis aequiori modo determinandis; de venae sectionis apud puerperas abusu; de convalescentium conditione ac prosperitate tuenda; de medicis peregrinationibus; de populorum miseria morborum genitricae. Silentio praetereo numerosas observationes singulares, in opusculorum hoc delectu congregatas.

Principalia atque notissima ejus opera duo sunt: systema politiae medicae, et epitome de cognoscendis et curandis hominum morbis. Prius lingua vernacula sex tomis editum est, quibus accedunt tria supplementorum volumina. Alterum opus, epitome, libris sex editum, febres, inflammationes, exanthemata, impetigines, profluvia et retentiones perstringit. Accedunt huic operi interpretationes clinicae, et opuscula posthuma, nevrosium etiam doctrinam continentia, a **Josepho** filio edita. Nec praetere possum dissertationem de controversiis medicorum, earumque causis. Quae reliquae ad administrationem sanitatis publicam pertinent, variis locis sunt vulgatae. Si jam horum laborum molem miramur, quid dicendum est de innumeris observationibus clinicis, quarum nec centesimam partem se divulgare potuisse, vir illustrissimus confessus est?

Vitam, quam ipse conscripsit, et opera **Frankii** lustrantes, plurima ab eo medicinae hodiernae semina, praeter jam memorata, fuisse jacta reperimus.

In Italia doctrinae a **Tommasinio** divulgatae antesignanus putatur ideo, quod

febrem inflammatoriam, a qua diversam non dari, Itali complurimi, uti **Haenius** quondam, etiam nunc contendunt, ab inflammatione cordis et vasorum interna repetere visus sit, aliquot dissectis cadaveribus adjutus. A qua opinione, ad omnes febres extensa, quam remotus fuerit vir eclecticus, non solum ejus epitome, sed et praxis docet. Ast febrem umbram potius morborum, quam morbum esse ratus, hodiernae pyretologiae viam utique aperuit.

Ad therapiam stimulantem, ex mente **Brunonis**, haud exiguo tempore propendebat, exemplo quidem filiorum delectatus, sed allectatus a genio epidemico tum regnante. Hunc genium morborum, omni tempore alium, qui sequitur diu in vivis superstes, non potest medendi rationem, etsi praedilectam, cum alia, quam dictat necessitas, dato tempore non commutare et emendare.

Videmus proinde **Frankium**, postquam e **Russia** rediisset, in acutorum cura iterum ad methodum antiphlogisticam prudenter se convertisse: non quod hanc in **Russia** primum didicerit, quod aliqui plane putant, sed quia character morborum inflammatorius in vasta illa **Europae** ditione citius et asperius, quam in aliis plagis, emicare solet.

Praecipuus fautor fuit doctrinae de febre nervosa, quae nunc typhi abdominalis nomen induit. Docuit tamen aperte, febrem gastrico-nervosam veram febris nosocomialis (id est typhi petechialis) conjunctionem gastricam sistere.

Auctoritas ejus, post libellum de larvis morborum biliosis scriptum, multum contribuit ad fervorem asseclarum **Stollii** minuendum. Quae coercitio, si nimia est, et in neglectum emeticorum ac purgantium abit, hodie dum e febribus simpliciter gastricis in **Franco-Gallia** gastro-enteritides et dothinenteritides, in **Germania** ileitides et typhos abdominales enutrit. Horum utique morborum primam generationem non arti adeo, aut inertiae nostrae, sed incurrenti potius cholerae orientalis constitutioni deberi, plus quam vero simile, et **Stollii** principiis consentaneum est.

Praecipuum **J. Petri Frank** meritum, quod ad praxin medicam attinet, ponimus: non adeo in cognoscendis et curandis morbis popularibus febris junctis, quos **Stollius** fere sagacius scrutatus est, sed in morbis partium diversarum organicis, anatomia, et passim etiam chemia pathologica, illustratis. Ab his morbis ad turbas systematis nervosi transgressus fit. Horum doctrinae non exiguum quidem lumen adjecit, studia sua et aliorum in columnam vertebralem convertens: psychicam tamen, et altiorem eorum partem uterque clinicus noster minus percoluit. Hucusque scilicet pertingere iis licuit, ultiores conatus posteris relinquere coactis.

Cognitionum ambitu et idoneo ordine **J. Petrus Frank Maximilianum Stoll**, tum in scriptis, tum ad aegrorum lectulos, superare conabatur. Ast **Maximilianus** noster perspicacior in morborum investigatione, et vix non profundior fuit in diversissimorum morbi signorum collatione. Et certe firmior ac simplicior erat in cura, breviorque in praecisa, casta, ac mascula dictione. Mihi **Stoll** intentus et validus arator, **J. P. Frank** dives et inexhaustus sator, dici posse videtur.

Quod ad medicam praxin attinet, **Stollio**, quod ad administrandam salutem publi-

cam, **Frankio**, praerogativam competere nemo dubitat. Si **Stollio** vitam diutius protrahere licuisset, si arrisisset illi fortuna magis, nescio an illo post Hippocratem medicorum quis major a cunctis agnitus fuisset. Sed historia literaria non ad virorum doctorum longaevos annos, et gesta ab his magnifica munera, non ad copiam scriptorum, ex aliis saepe congestorum, aut ad relictas haeredibus opes, titulorum amplitudinem, externa pectoris insignia, nobiliumque stemmata, neque ad extorta a doctis academiis diplomata, — sed ad cogitationis vim, ad actorum honestam famam, ad virtutum internum decus, ad animi nobilitatem, et ad splendidiorem cunctis titulis respicit modestiam. Atque hinc utrique celebratissimo nostro viro, quorum alter in calamitatibus populorum sufflaminandis, alter in praeventendis magis inclaruit, palmam tribuimus aequalem.

Quid igitur est, quod ex vita et actis utriusque summi viri in nostram usque praesentiam redundat boni?

Quid illud sit? Introspicite, quaeso, Auditores amplissimi et ornatissimi, utut haec vobis jam sufficiant, in illud valetudinarium clinicum, quod totum quantum, quemadmodum haec praelectionum schola, illorum virorum genio usque ad hunc diem regitur. Quid, aut creditisne observationis et venerationis naturae hippocraticum genium his cum viris, qui mihi a dextera sunt, emortuum apud nos fuisse? Ad dexteram vestram aspiciate: en horum discipulos, tantis magistris dignos *).

Quod ad me attinet, ego, tantorum virorum filius, et nepos, et abnepos, patres hosce meos non infitiabor unquam, sed omni, donec vixero, prosequar veneratione.

Conatus spondeo: nam in magnis voluisse sat est. Inconcinnum vero esset putare, quod, qui magistrorum suorum praeceptis plurimis adhaeret, progredi non possit in arte salutari. En, etiam patres hi nostri, moderatorum suorum fideles cultores, progressum amabant, et ad eum collegas atque discipulos excitabant! Inveteratos, et obsoletos dicitis? Eheu, quam multo citius, qui hos contemnitis, quia eos nec noscitis, inveterascetis, et obsolescetis! Per Deum, immortalitatis vindicem, agatis quid velitis, haec nomina nunquam peribunt! Numina sunt, non nomina! Invigilant hi nobis; nostris progressibus arrident: et ego in illorum semita non progrederer?

De istorum ergo immortalitate dubitandum est? — Extra angustos muros huius scholae oculos, quocumque libet, conjicite. Beneficam horum numinum operam adhuc longe lateque perdurare sentitis. Vastas imperii ditiones peragrate. Nullibi locorum vestigia non invenietis doctrinae, quae ab his profecta, in salute civium tuenda usque adhuc essent proficua, et auctoritate legum sancita. Quod observationes meteorologicae et medicae de morborum popularium constitutionibus in singulos annos a medicis publicis magistratui consignentur; quod magistratus omnino jam medicorum opera in miseria

* In obverso pariete scholae imagines clarissimorum virorum, J. a Raimann, Val. et Fr. ab Hildenbrand, conspiciuntur.

populorum coërcenda indigere se sciat; quod hinc publica medicorum officia et munera creverint; quod novus creatus sit magistratus, qui sanitati populorum prospiciat: hoc **Stollii** et **Frankii** opus est. Primordia laborum medicinae popularis et publicae illi posuerunt viri: tulerunt alii fructus et honores.

Ast multa adhuc supersunt egregie praestanda.

Qui populos decimant, morbi acuti, sat aperte ingrediuntur, ac stato tempore revertuntur. Sed gliscunt in familiis latentia mala, haereditaria plurimum, quae non praecipiti adeo incursu perterrefaciunt, et attentionem facile hinc effugiunt. In horum effectibus rimandis anatomia pathologica plurimum jam desudat.

Sed graviora adhuc sunt, quae societatem hominum circumveniunt, mala, cultro aut chemicorum arte non semper resolvenda. Mala haec nobilissimis insita sunt corporis humani partibus, aut partium potius functionibus, nervorum scilicet apparatus, quo sensum aut motum perficimus, et vitae civilis ac moralis munera gerimus cuncta.

Ad haec mala enodanda, et apto morum regimine praevertenda, alter scholae nostrae heros natus erat, medicorum philosophorum sui temporis facile primus, quem invida parca praemature eripuit nobis. Quis non sentit, me hic praeceptoris mei dilectissimi, **Philippi Caroli Hartmann**, inextinguibile nomen suppressere non posse? Quae et ille terminare nequiverat, partem laborum nostrorum constituent, oportet.

Atque sic nemo tantum agit, ut non aliquid, quod agant posterius, relinquat. Id imprimis de medicina valet, quae, monente **Baglivio**, nil nisi coacervata multorum hominum sapientia est.

Agite ergo jam, qui tenuitati orationis meae vestram adjungitis humanitatem et patientiam, Auditores amplissimi, ornatissimi, agite, ut a magnorum virorum cultu, qui ante nos fuerunt, ad cultum posteritatis proficiscamini. Non praesenti solum vivimus vitae. Innitimur praeteritae, tendimus ad futuram. Aut quis, quaeso, hujus vitae sensus est, si nobis tantum vivimus, non illis etiam, qui ante nos judicarunt, et illis, qui nostri successores et iudices erunt?

Sed utinam nobis etiam condigne viveremus! Dilaniant ordinem nostrum tristes discordiae, ex contemptu majorum nostrorum magna pro parte oriundae. Quando jam obicem his poni visuri sumus? — Quando? — Quando nec pietas erga patres emendandi et novandi studio, — nec juvenilis eorum experientias demoliendi fervor istorum merito, — se putabit altiorem. Honora patrem, seniorem, praeceptorem; honora matrem, scientiam: si vis beatus et longaevus degere in terris, posteritati etiam carus, et acceptus.

Vos ergo praecipue, juvenes commilitones, qui meo ductui vos concredidistis, vos festiva haec dies ad generosos ausus incitet. Quoties has effigies pie contemplabimini, toties diviniior quidam artis genius vos animabit. Audete sapere, ingenua cum pietate. Progrediamini — mecum — illustrium virorum ad exemplum: nec patriae amorem, nec languentes erigendi spem, nec scientiae quam debetis fidem, unquam dimissuri!